

Friedrich Ernst Ditmar

## **Disqvisitio Qvaestionis: Qvando Beneficivm Restitvtionis In Integrvm Minoribvs Sit Denegandvm?**

Rostochii: Litteris Müllerianis, MDCCLXXX.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn86237779X>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 29.Sept.1780


Ditmar, Frid. Ern.

R.U. - jus 1780 Dittmar, Friedrich E.






DISQVISITIO QVAESTIONIS:  
 QVANDO  
**BENEFICIUM RESTITVTIONIS**  
 IN INTEGRVM  
 MINORIBVS SIT DENEGANDVM?




QVA  
 LECTIONES ACADEMICAS,  
 EX  
 INDVLTV AMPLISSIMAE FACVLTATIS IVRIDICAE,  
 PER INSTANS SEMESTRE BRVMALE HABENDAS  
 INDICIT  
 FRIEDERICVS ERNESTVS DITMAR  
 IVR. CANDIDATVS ET ADVOCATVS.




ROSTOCHII, MDCCLXXX.  
 LITTERIS MÜLLERIANIS.

*H. Dr. Krause*

DISQUISITIO QVAESTIONIS:  
QVAEBO  
BENEFICIVM RESSTITVTIONIS  
IN INTEGRVM  
MINORIBVS SIT DENEGANDVM?



QVA  
LECTIONES ACADEMICAS,  
EX  
INDVLTU AMPLISSIMAE FACVLTATIS IVRIDICAE,  
PER INSTANS SEMESTRE BRVMALE HABENDAS  
INDICIT  
FRIEDERICVS ERNESTVS DITMAR  
IVR. CANDIDATVS ET ADVOCATVS.



ROSTOCHII, MDCCLXXX  
LITTERIS MÜLLERIANIS.



## PROEMIVM.



scripsi ante aliquot menses, atque idiomate vernaculae linguae, in litteris publicis, hic per singulas septimanas edi solitis, sub voce: *Gemeinnützige Aufsätze aus den Wissenschaften für alle Stände, zwanzigstes und ein und zwanzigstes Stück*, meditationes nonnullas de quaestione iuridica: *An minor semper ex contractibus iureiurando confirmatis obligetur?* Per litteram finalem nominis mei, recte experiri hac de re aliorum consensum aut dissensum, applausum aut contemptum, mihi tunc mens fuit, et felix voto eventus respondit. Fautorum igitur consilio admonitus has meditationes continuare, et solita lingua romana, qua leges romanae conscriptae sunt, proferre, ideo apud animum decrevi, quod hac occasione lectiones indicare volui academicas, ex benevola Amplissimae Facultatis Iuridicae concessione a me habendas. Ordinem eligam paragraphorum, quoniam in eo materia multo facilius methodice potest pertractari.



## Ratio instituti.

**R**estitutionem in integrum praecipue minoribus concedi, non solum omnibus, qui Iurisprudentiae suum dederunt nomen, notum est, sed quemlibet etiam quotidiana docet experientia, minores fere contra omnia, quae fecerunt in sui detrimentum, hoc gaudere beneficio; qua propter etiam transactiones et contractus ab illis initi claudicantes vocantur<sup>a)</sup>. Nihilofecius tamen non pauci adsunt casus, toto die nobis obvenientes, quibus minoribus, secundum leges et statuta, restitutio in integrum denegatur, et contra illorum facta nullus datur regressus. Hos quidem casus, partim a STRUVIO<sup>b)</sup> SCHOEPPERO<sup>c)</sup> LAVTERBACHIO<sup>d)</sup> partim etiam a BOEHMERO<sup>e)</sup> HELFELDTIO<sup>f)</sup> allegatos esse, me non fugit, et non dubito, fore plerosque, qui haud male iudicaverint, me aethiopem lavare, quum animo mihi proposuissem, res ita penitus perspectas planeque cognitatas, rursus hoc loco recoquere.

Quoniam autem a praedictis auctoribus fama eruditioneque inclitis, haud omnes, sed nonnulli modo casus singulatim commemorati sunt: operae pretium esse autumo, in sequentibus illos, ex quovis compendio iam notos, certo quodam ordine colligere, et reliquos nondum recensitos his adiungere.

a) GASSER. *de contractibus claudicantibus.*

b) STRUV. *Iurispr. Roman. Germ. forens. Lib. III. Tit. XXII.*

c) *in Synopsi iur. privat. Lib. IV. Tit. 4.*

d) *in compend. iuris. Tit. de minor. XXV. annis.*

e) *in Introduct. in ius Dig. Lib. IV. Tit. IV. §. 4.*

f) *in Iurispr. forensi. Lib. IV. Tit. IV.*

## Divisio.

Equidem non ignoro, methodo consueta meas esse partes, primo de restitutione in genere multa verba facere, et deinde aut reiectis aut assumtis eius definitionibus, me tandem ad scopum vertere. Neutiquam vero hanc methodum sequi volo, sed statim ad rem progredi mihi liceat.

Minoribus denegatur in legibus et statutis restitutio in integrum, contra certas quasdam aut *personas*, aut *res*. Si restitutio in integrum non admittitur

mittitur in rebus, causa efficiens est quaerenda aut in *ipso minore*, aut in *alio*, aut solummodo, sine respectu ad certas quasdam personas et res, in *lege*, aut etiam dependet a *nullius potestate*. Sin prius, restitutionis denegatio sumenda erit ex *factis a minore ipso commissis, aut omisis*, et priori in casu, intuitu circumstantiarum factum commissum, aut *licitum* aut *illicitum* esse existimatur. Quod si vero minori restitutio in integrum *contra facta a tertio perpetrata* denegatur, haec rursus fiunt vel a *iudice et publica auctoritate*, vel a *privato*.

Quonam igitur modo casus minoribus restitutionem denegantes contingant, et quid in illis sit iuris, sequentibus perscrutari singulatum, animo mihi proposui.

§. 3.

Contra parentes restitutio in integrum non datur.

Inter personas, contra quas minori restitutio non permittitur, primum occupant locum parentes. Sanxit *L. ult. C. qui et advers. quos &c.* clarissimis verbis, ob reverentiam liberorum erga parentes, illis, in negotiis cum parentibus gestis, restitutionem non dari, cum semper parens credatur optimum erga liberos cepisse consilium, et sine magna iniuria non esse praesumendam, filium suum ita laedere velle, ut negotium ipso iure validum, rescindatur.

Quanquam vero ex dictis fatis apparet, liberis ob debitam reverentiam, restitutionem contra parentes a legibus denegari: alia tamen erit quaestio: annon beneficium restitutionis in integrum locum inveniat, si liberi valide possint probare, laesionem se quandam sentire? (nam probata enormissima laesione, iure civili datur restitutio ex *L. 2. C. de resc. vend.* <sup>a</sup>). Mea quidem sententia, illis non esset deneganda restitutio in integrum. Nam si filio permittitur, et non certat contra debitam reverentiam, iudicem implorare, patrem suum luxoriosum tanquam prodigum accusare, multo minus iniquum censeo, liberos restitutionem contra patrem ipsos laedentem petere. Praeterea si ex certissimis appareat circumstantiis, parentes haud optima cepisse consilia erga liberos, sed penitus studuisse hos, in negotiis inter se gestis decipere: tunc disrupta sunt illa sanctissima vincula, quibus liberi obstricti sunt parentibus, et iuste illis aequiparantur, qui quascunque neglexerunt obligationes. Simulac enim pater se non pro tali gerit, haud inique privilegiis, ipsi qua parenti competentibus privatur, et liberis restitutionem in casu subtrato iudex potest concedere.

Consultius tamen erit, hoc in casu a liberis actionem in factum eligi, quoniam tunc salvo peracto negotio, damnum et laesio reparatur,



tur, praeslitoque interesse, res gesta non rescinditur <sup>b)</sup>; quod quoque temperamentum in legibus fundatum et permissum reperitur <sup>c)</sup>.

Interim *L. ult. C. qui et contra quos* solum de parentibus et patronis intelligenda, et nullo modo secundum sententiam Leyserianam <sup>d)</sup> per interpretationem extensivam ad adoptivos patres, vitricos et novercas extendenda est, cum satis constat, quantum sit odium contra dictas personas.

a) STRYCK in *V. M. Lib. IV. Tit. IV. §. 12.*

b) *ibidem.*

c) *l. 10. §. 1. ff. et l. 5. C. de dolo.*

d) LEYSER in *Med. ad ff. Spec. 57. med. 1.*

§. 4.

### Per indirectum contra parentes datur restitutio.

In nonnullis autem casibus minor per indirectum adversus parentem in integrum restituitur. Quando id praecipue locum inveniatur, a COCCIO <sup>a)</sup>, BRUNNEMANNO <sup>b)</sup>, STRUVIO <sup>c)</sup> et BERG <sup>d)</sup> expositum est.

Cum autem pater nunquam cum suis in minorennitate liberis pacisci et transigere debet, nisi illis hunc ad actum sit curator constitutus, (nisi iam sub tutela vivant) partes vero curatoris sunt, optimum eligere in pupillorum favorem, et si hoc neglexit, levem culpam praestare; hinc laeso minori ad regressum obligatus est curator, et minor non indiget contra parentes restitutione.

a) in *iure contro. Lib. IV. Tit. I. Quaest. VIII.*

b) *ad l. 2. C. qui et adver. quos.*

c) in *iurispr. L. 4. tit. 22. §. 15.*

d) *ad Leg. 2. C. qui et adverf. quos.*

§. 5.

### Liberto, iure Romano contra patronum non datur restitutio.

Quod in antecedentibus de restitutione minorum contra parentes dictum est, id etiam inter libertum, durante minorennitate manumissum, eiusque patronum locum invenit. Nam cum nullum apud Romanos beneficium gratis haberetur, libertatis donatione; servus etiam manumissus iuste accusabatur crimine ingrati animi, si contra patronum peteret restitutionem in integrum.

Hodie



Hodie vero in aprico est, omnia, quae in iure romano de paterno et liberto sancita legimus, nullam amplius habere vim, cum nostri servi et proprii homines toto coelo a servis romanis distant, et apud nos omnibus fere gaudent iuribus dominorum tam naturalibus, quam civilibus, secundum quae etiam servis ius contra dominos in iudicio standi competit; quapropter his remedium restitutionis contra dominos iure hodierno nunquam denegari potest.


§. 6.

### Minorenni contra minorennem nulla datur restitutio.

Privilegiatus contra privilegiatum iure utitur communi. Hoc tri- tum axioma etiam inter minores valet, et minor adversus minorem pe- tens restitutionem secundum POMPONII sententiam <sup>a)</sup> non est audiendus. Recte autem et accuratius hac de re ULPIANVS <sup>b)</sup> iudicat: *Praetoris esse respicere: an unus, an uterque minorum fuisset deceptus negotio inter se peracto.* Posteriori casu nulla est restitutio illis concedenda; priori au- tem, cum alter de damno vitando et alter de lucro captando certat: ille, qui damnum sentit positivum, gaudet restitutionis in integrum beneficio <sup>c)</sup>.

Pari modo contra regulam: *Minori adversus minorem non datur re- stitutio*, certat casus, quo minorenni restitutio conceditur: si nempe is duplici gaudet privilegio, et alteri minorenni, contra quem restitutio petitur, solum est privilegium aetatis. Exemplum erit in mino- renni muliere pro alio fideiubente, quae ob SCti Velleiani privilegium non tenetur.

Hac occasione mihi obvenit quaestio, an etiam heredibus mulieris, durante minorennitate, pro tertio fideiubentis et ante impletam maioren- nitatem morientis, competat beneficium restitutionis in integrum con- tra renunciationem SCti Velleiani a defuncta factam? Meo quidem iudicio distinguendum erit, utrum femina fideiussionem, qua talis, an sub cer- ta quadam personali qualitate suscepit? Priori in casu eius heredibus omnino restitutio erit concedenda, si tempus, quod defunctae usque ad maiorennitatem adhuc superfuerat, nondum est repletum. Nam cum femina, si vixisset, semper restitutionem contra renunciationem bene- ficii SCti Velleiani petere potuisset, etiam hoc ius in eius heredes translatum est. Posteriori autem casu, si illa e. g. fuisset femina mer- catrix et respectu mercaturae fideiussionem suscepisset: tunc non dare- tur amplius regressus, quam femina mercatrix in omnibus rebus ad mer- caturam



caturam spectantibus a conditione muliebri exempta sit, et masculorum iure gaudeat <sup>a)</sup>.  
 Quanquam secundum vulgarem sententiam restitutio non datur uxori minorenni eiusque heredibus, adversus initam pro marito fideiussorem, eique annexam ob *Auth. si qua mulier. C. ad Sen. Conf. Vell.* iuratum renunciationem, quum haec renunciatio iure iurando sit facta, et iusiurandum ex minore faciat maiorenem: mihi tamen contrarium arridet, cum illud neque principiis iuris neque legum sensui conveniat. Nam luce meridiana clarius est, minorem ob factum quoddam ab ipso, qua tali, commissum, nullo modo aliter obligari posse, nisi adiecta iurata minorennitatis renunciatione vel perpetrato dolo. Iusiurandum vero nil efficit, nisi ut iurantem reddat maiorem <sup>b)</sup>; a maiorenni autem uxore postulat *Authentica si qua mulier* &c. ut renunciatio fiat iurata, et nil magis regulariter a minore desideratur. Hinc etiam si uxor minorennis per iuratum renunciationem *Auth.* pro maiorenni haberetur, maiori tamen uxori pro marito absque dicta authenticae renunciatione fideiubenti solum equiparanda esset. Nam haec minorennis uxor, omni casu nihil aliud fecit, quam quod maiorennis in eodem casu facere debuisset; quapropter mea quidem sententia, semper a parte minorennis uxoris iurata minorennitatis renunctio etiam iuratae *Authenticae si qua mulier* &c. renunctio accedat, necesse est, ne talis fideiussio uxoris pro marito, omni careat effectu.

a) l. 11. §. 6. ff. de minor. XXV. ann.

b) *ibidem.*

c) l. 34. ff. eod. tit.

d) MANTZEL in diss. de femina mercatrice Thes. IX.

e) *Ibid.* Thes. XI.

§. 7.

Quando restitutio in integrum contra tertium possessorem sit deneganda?

Aliquando minorem contra tertium possessorem restitutione carere, satis est notum. Quoniam vero secundum BOEHMERI sententiam <sup>a)</sup> id non facile locum habere debet, discutiendum erit, quaenam requisita adesse debeant, quando iudex minorenni contra tertium possessorem denegare possit restitutionem.

Primo requiritur, possessorem rei minoris in bona fide et iusto titulo versari; nam contra malae fidei possessorem restitutio statim conceditur, quum, qui scienter rem tenet alienam, sibi ipsi imputet, si illa rursus

rursus vindicetur, quia semper ad restitutionem eiusmodi rei cum omni causa obligatus est, damnumque igitur exinde ortum non sentire videtur.

Deinde est necesse, primum emptorem rei minoris solvendo esse, ita ut minorennis ad ipsum habeat regressum; si hoc vero non adesset, tunc tertius etiam bonae fidei possessor tenetur, secundum verba *legis* 13. in f. ff. de minor. „Sin vero non esset solvendo (scilicet primus emptor) aequius esse minori succurri etiam adversus ignorantem, quamvis bona fide emptor sit.„ Denique BOEHMER <sup>b)</sup> etiam adhuc addit, quod minor non rem ipsam potius, quam interesse habere malit, quod autem mihi haud ita indistincte, in arbitrio minoris collocatum esse, videtur; insuper id ex lege a BOEHMERO ad corroborandam suam sententiam allegata, non dilucide apparet <sup>c)</sup>. Ista lex loquitur de casu, si ex causa iudicati pignora minoris capta sunt, et non, si minor res suas sponte alienavit; tunc in dicto casu non nisi interdum permittitur, si (nempe) grande damnum sit minoris.

Hac occasione quaeritur, annon minores contra fructus a bonae fidei possessoribus perceptos in integrum restituantur? Mea quidem sententia non datur restitutio; nam hi nunquam ab illis vindicantur, nisi alterius damno essent locupletiores facti e. g. in hereditatis petitione. Bene tamen bonae fidei possessor ad restitutionem fructuum potest teneri, idque a tempore, quo illi notum est factum, se rem possidere vitiosam, et nihilominus bonae fidei possessor, opinione iustae possessionis litem prosecutus est; tunc per sententiam ad restituendam rem condemnatur, et fructus a die citationis usque ad diem restitutionis exhibere tenetur <sup>d)</sup>.

a) in introd. in ius D. P. 1. p. 170. §. 12.

b) ibidem.

c) L. 9. ff. de minoribus.

d) HERTIVS de probation. in possessor. et huius effectu, quantum attinent fructus et litis expensas.

§. 8.

Contra dationem libertatis a minore factam olim illi non erat restitutio in integrum.

Hactenus de illis est actum personis, contra quas minorennibus restitutio in integrum denegatur; nunc etiam illis de casibus mentionem facere mihi animus est, in quibus minorennis contra facta propria omni restitutione destituitur.



Ostendi iam supra §. 2. facta, contra quae minori restitutio non datur, aut *licita* aut *illicita* esse. Licitis iure antiquo Romano praecipue datio libertatis adnumeratur; quapropter etiam hic primum vindicat locum.

Quem tristissimus ille status, in quem servi apud Romanos redacti erant, non fugit, huic quoque notum est, quod illi quasi ex hominum ordine eiectione, rebus solummodo adnumerarentur, ita ut dominis licitum esset, servos non solum pro lubitu vendere, sed etiam sine causa occidere; neque illi mirum est, si in tanta servorum calamitate quaelibet occasio ad liberationem ex servitute spectans, arripiebatur, et more et lege habebatur pro valida. De veritate dicti favoris manumissionis, nobis loco testium sunt modi manumittendi per solam filii nominationem, a domino factam, et per convivium <sup>a)</sup>.

Re ita comparata, multo minus indiget admiratione, minori non licitum fuisse, servum manumissum rursus in servitutem revocare, et contra manumissionem semel factam restitutionem petere. Nec deest legum copia id adfirmantium, et in Lege AELIA SENTIA clarissimis verbis sancitum reperimus, quod si minor tantum XVII. annorum esset, facultatem habeat manumittendi <sup>b)</sup>, cuius sanctionis fundamentum in diversis invenitur legibus <sup>c)</sup>. Contra manumissionem vero a curatoribus factam, minoribus datur in tantum regressus, in quantum per hanc damnnum sentiunt, non autem ultra <sup>d)</sup>.

Sicuti vero iure hodierno odium servitutis apud nos non tantum est, quantum et iure et more romano, sic etiam praedicta nostros ad homines proprios haud applicari possunt. Constat enim inter omnes, hodie servos solum glebae adscriptos esse, neque amplius inter bestias numerari, sed magis esse dominorum suorum consortes, in ecclesia eadem ex calice bibentes sacramentali, immo inter alia contra dominos iure standi in iudico gaudentes <sup>e)</sup>. Et cum res ita sit comparata, ut proprii homines fere pro liberis habeantur, cessat etiam ille favor, qui iure romano ex misericordia erga infelicissimum servorum statum ortus erat, et nostris nobiles, qui homines proprios sub sua potestate habent, non permittitur ante adeptam maiorenitatem inter vivos illos manumittere, sed contra factam manumissionem semper locum invenit restitutio <sup>f)</sup>.

a) HEINECC. in Elem. iur. civil. Lib. I. Tit. 5. §. 103. et 104.

b) l. r. I. qui et ex quibus causis manum. non possunt.

c) l. r. C. si advers. libert. et l. 31. ff. de minor.

d) l. r. C. si adv. libert.

e) MEVIUS

- e) MEVIUS et BALTHASAR *de condit. propr. homin.*  
 f) HOPP. *in comment. ad Inst. Tit. qui et ex quibus causis man. ad §. 4.*

§. 9.

Contra actum a minore iuramento confirmatum, non datur restitutio.

Minorenni, modo iam puberi, regulariter contra facta, iuramento confirmata, non datur restitutio, si de iuramenti gravitate et de qua iuret causa, intelligentiam habet <sup>a)</sup>, quod tam ex famosissima *Auth. Sacramenta puberum C. si adv. vendit.* quam ex dicto iuris Canonici: *omne iuramentum, quod salva salute aeterna potest servari, servandum est*, probatur. Cum autem nulla detur regula sine exceptione, etiam ante dicta quasdam patiuntur limitationes. Nam ipsa allegata *Auth.* nos docet, minorem haud semper solo iuramento ita se obligare posse, ut nullo gaudeat regressu; quod ex ipsis Authenticae verbis: *Sacramenta puberum sponte facta*, apparet. Omnino supponit vox: *Sponte*, minorem nullo unquam modo ad iusiurandum cogi posse; quodsi ergo per metum aut vim aut dolum aut blanditias ad aliquod determinaretur, iuramentum praestitum nullius momenti esse censeretur <sup>b)</sup>. Sed potius statim eius relaxatio secundum ius Canonicum a consistoriis concedi posset <sup>c)</sup>. Nam omnibus notum est, hoc iuramentum nil magis efficere, quam ut e minore, praesenti in actu, faciat maiorenem, hinc etiam minori iuranti, in talibus quoque casibus, maiori restitutionem dantibus, illam non esse denegandam. Inde sequitur porro, emptorem vel venditorem minorem, ultra dimidiam laesum partem, quamquam sponte se iuramento obstrinxisset, tamen adepturum esse restitutionem, cum maior hoc in casu illa gaudeat, et in aprico sit, minorem contractum iureiurando confirmantem, tantum pro maiore censerit.

Sunt quidem nonnulli sententiam foventes, quod, cum minores eadem ex fragilitate tam ad iurandum, quam ad contrahendum introduci queant, etiam ex hoc fundamento adversus praestitum iuramentum perinde ac contra initum contractum essent restituendi <sup>d)</sup>. Plurimi tamen defendunt <sup>e)</sup>, in Germania sine ullo dubio esse receptum, simpliciter contractus minorum, iuramento confirmatos valere, et licet defectu sollemnium laborent, tamen minores restitutione in integrum esse deslitutos.


Satis ex dictis apparebit, quid requiratur, ut regula: *minori contra actum iuramento corroboratum non datur regressus*, applicatione gaudeat.

- a) Perillustri QVISTORP. *in den Beiträgen zur Erläuterung verschiedener, mehrtheils unentschiedener Rechts-Materien. Zweytes Stück. No. VIII.*

B 2

Von





Von eydlich geschehenen Versprechen und Verzichtleistungen der Minderjährigen.

b) C. 28. X. de iureiur. c. 2. de pactis in 6to.

c) C. 1. 15. X. de iniur. c. 2. eodem.

d) ZAHN. de mendac. Lib. III. c. 6. n. 102.

e) CARPZOV. P. 1. Const. 11. Def. ult. et STRYCK. in V. M. de minor. §. 14.

§. 10.

Neque contra iuratum restitutionis beneficii renunciationem datur.

Omnia, quae in §pho praecedenti de actibus a minore iuramento confirmatis recensita sunt, etiam recte ad iuratum restitutionis beneficii renunciationem applicantur, et teste STRYCKIO <sup>a)</sup> restitutio non est concedenda, nisi laesio sit maxime enormis; immo etiam hic Auctor sententiam profert, nequaquam restitutionem locum invenire, si laesioni maxime enormi iurato renunciatum sit.

a) in V. M. Lib. IV. Tit. IV. §. 15.

§. 11.

Non adversus ultimam voluntatem a minore adornatam.

Huius ratio ita in aprico est, ut nulla indigeat probatione; nam in quibus causis minores non laeduntur, etiam in illis denegatur restitutio. Sunt enim ultimae voluntates ambulatoriae usque ad mortem, igitur a minoribus semper absque restitutione revocandae <sup>a)</sup>. Deficiente autem revocatione, testamentum a minore conditum valet, simul ac ultimum XIV. anni diem superaverit, praetereaque iam sui iuris homo fit, (quia notum est, filiosfamilias, durante patria potestate, non gaudere testandi facultate <sup>b)</sup>) quoniam post mortem non indiget bonis, hinc nulla laesio locum invenire potest.

a) FROMMANN. in different. mortis causis. et simplic. donat.

b) Exceptio tamen est in peculio castrensi et quasi castrensi, in quibus filii pro patribus familias habentur, et testandi facultatem, viventibus habent patribus. Immo parente invito, filiosfamilias in peculio adventitio, quod vocant extraordinarium, mortis causa donare conceditur. Vid. LVDOVICI in usu. pract. distinct. Lib. XV. Tit. 1. §. III.

§. 12.



## §. 12.

Magistri in artibus, licet adhuc minores, frustra adversus facta ad suas artes pertinentia restitutionis in integrum beneficium invocant.

Quum iam mulier in fideiussione, sciens se non obligari posse, sine effectu obmovet SCtum Velleianum, multo magis magistro cuiusdam artis scientiam profitenti, restitutio denegatur in causis ad artem suam spectantibus aliquid negligenti; atque hoc recte iusteque. Nam regulariter duplex adest ratio, magistro in arte denegans restitutionem, quoniam primo in iure nil turpius habetur, quam artem, in qua quis versatur, ignorare <sup>a)</sup>, et hoc ex capite restitutionis beneficium petens, propriam allegare turpitudinem existimatur; deinde fere semper talis, qui sua in arte magister est, iuramento obstringitur, ne contra regulas suae artis quid faciat, sed quantum fieri possit, illis convenienter vivat.

Ex hisce igitur rationibus tam iurium quam medicinæ doctoribus, advocatis <sup>b)</sup> immatriculatis, notariis et mercatoribus <sup>c)</sup> in solito albo conscriptis, adhuc tamen in minorennitate viventibus, in negotiis ad suas artes et mercaturam respicientibus, recte denegatur regressus contra facta, ex ignorantia, dolo et culpa commissa.

Quaestionem, an I. V. Doctor minorennis, cum rerum divinarum humanarumque scientiam habere debeat, etiam contra quaecunque facta ex ignorantia culpaque commissa privetur restitutione, decedit LAVTERBACH <sup>d)</sup> aiens, quod tali non aliter, quam in rebus ad iurium scientiam pertinentibus, restitutio sit deneganda, neutiquam in reliquis. Videtur tamen mihi distinguendum esse, utrum DD. contra scientiam iuris scripti an non scripti peccauerint; priori in casu, nulla illis datur restitutio, posteriori autem tunc non erit deneganda, quando in invincibili versantur ignorantia.

a) L. 2. §. 43. ff. de O. I.

b) GRUBER in diff. de minore procuratore.

c) LAVTERBACH. in diff. de iure in cura mercat. usitato Th. 46. STRUCHA. de mercatura P. 3. n. 26.

d) in Coll. Theor. pract. pandect. Lib. IV. Tit. IV. §. 17.

## §. 13.

Contra matrimonium contractum non datur restitutio.

Quamquam matrimonium aliorum contractuum naturae non plane dissimile esse videtur, cum horum definitio, quod contractus, vel pa-

ctum, sit duorum in idem placitum consensus <sup>a)</sup>, etiam in illud quadrat, et minori adversus quemlibet contractum qua tali initum restitutio conceditur: tamen ipsi contra contractum matrimonium non datur regressus <sup>b)</sup>, quia illud non solum publicus est contractus, variis limitibus circumscriptus, sed etiam contra naturam contractuum reliquorum, pro indissolubili societate divinitus instituta <sup>c)</sup> habetur, immo iure Canonico inter sacramenta adnumeratur.

Sunt quidem nonnulli DD. qui inter matrimonium contractum et contrahendum valde distinguunt, et restitutionem in matrimonio contrahendo, quae sint sponsalia, si laesio doceri queat insignis, permittunt. Praecipue id prosequitur BOEHMER. <sup>d)</sup> de sponsalibus puris, in cuius sententiam quoque descendo. Minime vero valet extensio ad nuptias iam celebratas, nisi aliae causae intervenerint matrimonium rescindentes.

Secundum tamen hodiernam praxin notissimum est, partibus sponsalia semel inita non esse licitum, incio iudicio ecclesiastico, rescindere; hinc si tamen hoc factum est, fiscalis contra partes, ad persequendam poenam in hoc constitutam, a Consistorio excitatur.

Neque praetereundum erit, cum matrimonium ex minorennem facit maiorenem, maritum minorem in negotiis ab ipso, qua marito, peractis non gaudere restitutionis beneficio, sed suas res qua maiorenem valide administrare posse.

Nec desunt DD. <sup>e)</sup> profitentes, minorem per matrimonium, nil maioris potestatis in administratione suorum bonorum adipisci, quam per veniam aetatis, hincque immobilia non absque magistratus decreto alienare posse. STRYCKIUS <sup>f)</sup> vero semper mediam ambulans viam tradit, iniquum esse, maritum minorem tam in contractibus quam in negotiis iudicialibus ex lubrico aetatis magnam sentientem laesionem, solo matrimonio omni LL. beneficio, pariter ac si deliquisset, privari, sed potius illi forte ex praecipitantia iuvenili contrahenti et postea litigaturo curatorem ad litem dandum esse. Quamquam id aequitati conveniens est, tamen nusquam legibus suffulcitur.

Quod autem ad uxores pertinet minorenes, hae per matrimonium ex una in alteram transferuntur curam, et ante dicta solummodo de maritis valent, nisi femina sit mercatrix, uti in §pho 6. iam dictum est.

a) L. 1. §. 2. et 3. ff. de pactis.

b) BOEHMER in introd. in ius Digest. Lib. IV. tit. IV. §. 4. n. 5. et SCHOEPPFER in Synops. Lib. IV. Tit. IV. n. 23.

c) HEINECC. in Elem. iur. civil. §. 146.

d) in

d) in diff. de restit. in integ. contra Sponsal. minor. et EIVSDEM Ius Eccles.  
Lib. IV. Tit. 1. §. 47.

e) FRANCIS ZYPAEVS Norit. Iur. Belg. Lib. 1. T. de rest. in integ. n. 7.

f) in V. M. Lib. IV. Tit. IV. §. VII.

§. 14.


### Uxorimino renni iure Rostochiensis contra communionem bonorum restitutio negatur.

Meo instituto non alienum esse censeo, cum in antecedenti spha de minorenni marito, restitutione in integrum contra negotia ab ipso qu tali gesta, destituto tractavi, simulque commonstravi, mulieres minore nnes ab hoc praeiudicio exemptas esse, etiam illum casum, quo iure Ro stochiensis <sup>a)</sup> uxoribus contra semel initam bonorum communionem beneficiu restitutionis in integrum denegatur, hic recensere; nam verba id continentia haec sunt: *Es mag sich keine Frau, wenn sie gleich zur Zeit der eingegangenen Ehe, minderjährig gewesen, das beneficium in integrum wider die contrahirte eheliche Gemeinschaft der Güter anmassen.*

Ratio, cur uxori contra communionem bonorum restitutio non datur, et necessitas huius statuti in locis, ubi ius Lübecense et bono rum communitio inter coniuges floret, nemini erit ignota. Nam si uxori minorenni permittatur, simulac damnum per initam bonorum communionem sentiat, ab illa rursus recedere, acerbissimis famosissi misque litibus inter uxorem restitutionem petentem, et creditores, anfa daretur, cum haec bonorum communitio non solum in coniugum sed etiam in creditorum favorem introducta est, quoniam his dicta commu nio ob pecuniam marito creditam, magnam dat securitatem.

Hoc respectu etiam illa communitio bonorum a lege statutaria ita custoditur <sup>b)</sup>, ut non aliter, nisi auctore indice, renunciari dirimique pos sit, et neutiquam uxor per domicilii et fori mutationem in creditorum fraudem factam, ab hac communitio liberetur, nisi constet emigrati onem haud fraudulentem institutam esse, et creditorem non vigilantem tacite domicilii mutationem concessisse, uti copiose recensuit Ante cessor huius Almae celeberrimus WIESE, fautor meus in aeternum co lendus <sup>c)</sup>.

Antequam ad sphum sequentem progredior, erit perscrutandum, annon ullus detur casus, in quo uxor minorennis contra tenorem alle gati articuli ab inita bonorum communitio, per restitutionis bene ficium liberanda esset. Et nisi me omnia fallunt, tunc hic adest casus, si quaedam dives virgo minorennis ex tutorum scelere, lucri captandi causa,



caussa, marito inopi proderetur, ut hic postea dissolutum vitae genus alere, debitaque sua nummis solvere posset uxoris. Si eiusmodi enim uxor neque de re familiari et mariti scelere, neque de huius legis dispositione ullam habuisset notitiam, nulloque modo eam adipisci potuisset, certe hoc in casu tristissimo, mea quidem sententia, ius et aequitas poscit, tali miserabili frivoleque deceptae aut restitutionem aut actionem contra tutores ad resarciendum damnun, non denegare, cum in notorio sit, ignorantiam iuris scripti mulieribus haud nocere, praecipue si nunquam ad iurium scientiam venire potuerint, dolumque nemini patrocinio esse, quoniam ille qui contra legem peccat, frustra legem invocat.

a) *Part. I. tit. V. art. XXIII.*

b) *ibidem art. VI.*

c) in progr. *de differentiis quibusdam iuris fugam inter et emigrationem tam volunt. quam coact.* pag. 17.

§. 15.

Contra actus medio tempore, ex quo veniam aetatis impetravit, a minore gestos, illi non datur restitutio.

Quamquam minoribus conceditur, contra veniam ex lubrico aetatis impetratam, restitutionem rursus a principe vel magistratu petere, adeoque cum per restitutionem omnia in pristinum reducuntur statum, etiam intermedio tempore gesta, pro non factis habenda esse videntur; ex legis tamen dispositione \*) nunquam hoc in casu conceditur, idque iuste, quod non solum minor in illis factis ut maior se gessit, et negotia maiorum in se suscepit, sed etiam neque auctoritati magistratum, neque principum maiestati convenire posset, per illorum facta alios circumveniri, id quod certe in concedenda restitutione contra facta, medio tempore veniae impetrationis gesta, contingeret, quoniam cum minore venia aetatis gaudente contrahentes, semper decepti essent, simulac hic maiorensis declaratus a negotiis ab ipso qua tali gestis, rursus posset recedere. Et hoc respectu minori in casu substrato restitutio non inique denegatur, cum Principibus Magistratibusque eminentioribus ius sit, beneficia minoribus ob lubricum aetatis in legibus concessa, rursus ad illorum preces antecedenteque in mores inquisitione per concessam veniam auferendi, pro maioribus declarandi, et illorum factis valorem dandi.

a) *L. 1. C. de his qui veniam aetat.*

§. 16.

Contra iustam rei venditionem minori hac ex causa, quoniam postea rerum pretia creverunt, et ob lucrum captandi causam, non indulgetur restitutio.

In omnibus vero casibus, in quibus minori restitutio conceditur, ille probare necessum habet et aetatem et laesionem <sup>a)</sup>. Laesio vero non ex futuris coniecturis eventibusque, sed ex tempore contractus est aestimanda <sup>b)</sup>. Si igitur res minoris iusto legitimoque modo, auctoritate curatoris, etiam in immobilibus cum magistratus decreto, est vendita, et tempore contractus pretium datum aut acceptum pro iusto habetur: tunc, neque ex sua aetate neque ex laesione damnum sentienti minori restitutionis beneficium datur. Nam ex hoc fundamento, ut postea aut temporis eventu aut casu fortuito pretium rei venditae melioris factum sit conditionis, non permittitur, contractum semel legitime confectum, rursus rescindere.

Veritatem huius sententiae fundatam reperimus in *Lege u. §. 4. ff. de minor.* ubi clarissimis verbis sancitur: „non restituitur (scilicet Minor) qui sobrie rem suam administrans occasione damni non inconsulte accidentis, sed facto velit restitui: nec enim eventus damni restitutionem indulget, sed inconsulta facilitas.“ Satis igitur est probatum, et non erit, quod multa faciam verba.

a) *L. 5. C. de in integr. restit. minor.*

b) BOEHMER in *Introd. in ius Dig. Tit. de minor. §. 5.*

Contra pecuniam in minoris utilitatem creditam, illi non est restitutio.

Licet minori ob singularem legum indulgentiam contra mutuum, etiam auctore tutore contractum, si illud non in eius utilitatem versum est, restitutio in integrum concedatur, tamen secundum vulgatam iuris rationem, ut nempe cessante laesione, cesset restitutio <sup>a)</sup>, minor hoc in casu non gaudet restitutionis beneficio, simulac eius creditor probare possit, pecuniam in rem minorennis esse versam. Dicitur autem mutuum versum in rem seu alterius utilitatem, quando quid expensum est in eam causam, ad quam alter vel ratione officii obligatus erat, vel quam intuitu utilitatis exinde percipiendae non facile



omiffisset<sup>b)</sup>; praecipue autem versio adest in creditis minori ob militiam vel sagatam vel togatam, aut ob alias bonas causas artesque datis. Haec enim ita privilegiata sunt, ut contra illa nequaquam exceptio S<sup>C</sup>ti Macedoniani attendenda sit, sed potius pater ad restituendum mutuum, quatenus probabilem non excefferit modum, creditori obstrictus sit<sup>c)</sup>; multo magis his in rebus, minorum obligatio ad restituenda debita in eorum utilitatem versa existimatur.

a) L. 2. L. 16. C. de praed. minor.

b) L. 3. §. 2. ff. de in rem versioe.

c) BOEHMER in *introduc.* in ius Digest. Lib. XIV. Tit. VI. §. 3.

§. 18.

An minori contra illa, quae ex pietate vel animo donandi gessit, etiam competat restitutio.

Antequam nos ad illos convertimus casus, qui minorem ob facta illicita a se ipso commissa, restitutionis in integrum beneficio privant, paucis adhuc coronidis loco erit perscrutandum, annon etiam minorennis adversus donationem ex pietate vel ad causas pias factam, restitutionem petere possit? Nulla in nostris legibus inveniuntur vestigia hanc quaestionem aut negantia aut affirmantia, igitur nostrum est, rem ex communibus principiis iuris et ex analogia determinare.

Constat quidem, donationem esse alienationis speciem, et ad diminutionem donatoris patrimonii spectare; omne autem factum et quaelibet alienatio, quae minorenni aut contrahit damnum, aut sua minuit bona, per restitutionem rescinditur, ergo contra donationem minori secundum dicta principia datur hoc beneficium.

Quoniam autem iam iam demonstratum est, quod minor quibusdam in casibus pro maiorenni existimetur; maior autem donationes et sumtus pietatis causa factos repetere non possit<sup>a)</sup>: hinc minorenni illis in rebus, in quibus pro maiore habetur, donanti nullus datur regressus. Quod si igitur minor minori aliquid ex pietate aut in extrema egestate aut ad literarum studia persequenda donat, nec minus, si qua certi cuiusdam liciti collegii membrum ad illius amplificationem utilitatemque in communem arcam aliquid dedit, sive si qua maritus expensas in uxorem impendat aegrotantem, aut ex peculio castrensi vel quasi castrensi intra limites donatori praescriptos, qui non superant 500 solidos, aliquem donis decorat: hisce in omnibus, mea quidem sententia, neque restitutio neque repetitio

petitio locum invenit, et minori recensitis in casibus aequae ac maioribus denegatur restitutio. Id etiam iuste ad ea extenditur, quae minor Dei nominis amplificationis causa bonis operibus ita facit, ut eius vires non excedant, quibusque pecuniae lustricae, vulgo *Patzen-Gelder* adnumerantur.

a) L. 27. §. 1. ff. de neg. gest.

§. 19.

### Contra factum dolose perpetratum nemo restituitur.

Peracta iam factorum licitorum recensione, minoribus restitutionem denegantium, agendum nunc est de illicitis omnem restitutionem excludentibus, inter quae primum obtinet locus dolus malus.

Omnibus erit notum, dolum nemini patrocinari, et in hoc minorenes ut plurimum equiparari maiorennibus, quapropter ego viderer lana de caprina rixare, si hac de re multa facerem verba. Id unicum tamen meo quidem iudicio est adiungendum, nempe necesse est, a minoris parte adfuisse dolum ex proposito<sup>a)</sup>, i. e. ab initio animum decipiendi alterum habuisse, id quod accidit, quando minor v. g. hac ex ratione dolose se venditarit pro maiore, ut alter cum illo contrahens, decipiatur; tunc pari modo minori aequae ac feminae vestitu masculino decipiendi gratia larvatae, nullum datur restitutionis beneficium. Nam iura quidem auxiliantur deceptis non decipientibus.

Alia est quaestio, qui cum minore contrahit, et dubitat, utrum talis sit, quia minor suo de statu nullam facit mentionem, nihilominus tamen, ut ex contractu cum illo, qua putativo maiore, initio lucrum captare possit, ignorantiam huius circumstantiae finalat, ut minor eo fortius esset obligatus, annon potius tunc negotium inter hos peractum rescindatur? Omnino hoc affirmandum erit propter generalem regulam, dolus cum dolo compensatur; quamobrem auxilium iudicis a minore laeso recte imploratur<sup>b)</sup>.

Dolus autem, qui dicitur ex re, non semper sufficit ad denegandam restitutionem, e. g. minor se gessit pro maiore, et cum eo qua tali contrahens nullam de eius aetate quaestionem facit, sed minorem putat maiorem iam esse. Quando hic autem absque dolo etiam suae aetatis terminum fileat; tunc quidem respectu minoris postea dolus ex re oriri posset, si illi nempe iucundum foret, ut res ita sit gesta, a parte alterius tamen contrahentis culpa negligentiaque foret commissa, et sibi ipsi imputandum esset, quando minor superveniente poenitentia restitu-





restitutionem peteret, quia contrahentis fuisset, de statu et aetate minoris quaestionem movere. Minor igitur hoc in casu iuvatur, nisi causa adfit mercaturae \*) aut alia minorennem pro maiore exhibens.

a) L. 36. ff. de V. O.

b) LAVTERBACH in Coll. theor. pract. pand. L. IV. Tit. IV. n. 31. L. 36. ff. de dolo L. 3. C. si minor si maior dixer.

c) DIESTLER. in diff. de eo qui est maior et minor simul. p. 17.

§. 20.

### Non restituitur contra delicta.

Ut minori ob perpetrata delicta restitutionis beneficium denegetur, a parte illius aut dolus aut malitia requiritur, cum praecipue malitia aetatem ita suppleat, ut etiam haec impuberibus non patrocinetur.

Sin autem minor per culpam vel ignorantiam delinquit, ex leg. i. C. si adv. del. non plane est restitutione destitutus, quoniam in illa lege inter delictum *animo* commissum, et illud quod *extra venit*, in quo minori restitutionis auxilium competat, distinguitur.

Praecipue id locum habet, si delictum in omittendo consistit; uti mater minorennis non amitit hereditatem, licet filio suo tutorem non petierit <sup>a)</sup>, et si minor absque dolo vectigal non solverit <sup>b)</sup>.

Attamen erga minores ex malitia delinquentes in affligendis poenis commiseratio ob aetatis lubricum locum invenit <sup>c)</sup>, et respectu delictorum atrocium saepe poena gladii loco laquei, combustionis cet: imponitur. Immo commentatores ad art. 164. C. C. C. von jungen Dieben, latissime largissimeque hanc rem perscrutati sunt <sup>d)</sup>.

a) L. 2. C. si advers. delict.

b) L. 9. §. 5. ff. de minor.

c) L. 37. ff. ibidem.

d) CARPZOV. Pr. Crim. qu. 143.

§. 21.

### Nec contra confessionem delicti.

Denegationem restitutionis in integrum contra delicta, perpetranti mihi, occurrit quaestio, annon minorenni adversus delicti confessionem sit restitutio concedenda. Magnum certamen hac de quaestione inter Doctores est; alii negando alii affirmando respondent. Qui pro sententia certant affirmante, provocant ad leg. 6. §. pen. ult. ff. de

con-

*confessis*, ubi verba adsunt, *minorem a confessione sua restituimus*. Quamquam enim ibi non de confitente delictum, sed alias exhibente confessiones agitur, et huius legis exceptio in delictis valet; tamen a SCHÖEPFERO <sup>a)</sup> et LAUTERBACHIO <sup>b)</sup> dicta lex ad delicti confessionem trahitur, credentibus, restitutionem contra confessionem in veris delictis locum habere posse. Inter negantes autem maxime eminent cocceivs <sup>c)</sup>, rationem petens hoc ex principio, ut, cum constet, contra delicta non dari restitutionem <sup>d)</sup>, etiam nec contra eius confessionem, ergo nec minori restitutio concedenda sit, quod recte ex *legis 37. ff. §. i. de minor. verbis, et non sit aetatis excusatio adversus praecepta legis ei, qui dum leges invocat, contra eas committit*, concluditur. Requiritur tamen, ut confessio minoris coram illo et ad eius interrogationem sit facta, cui competit ius interrogandi, nam ubi iudex non adest, ibi responsio cessantibus indiciis non nocet <sup>e)</sup>.

a) in *Synopsf. ad ff. L. IV. Tit. IV. n. 30.*

b) in *coll. theor. pract. pand. lib. IV. T. IV. §. 29.*

c) in *iur. contro. Tit. de confess.*

d) *L. i. C. si adv. del. l. 9. §. 2. de minor.*

e) BOEHMER in *introd. ad ius dig. Tit. de interrog. §. 2.*

§. 22.

### Contra veram contumaciam minori non datur restitutio.

Secundum iuris regulam <sup>a)</sup> contumacia dolo equiparatur, et cum nemini dolus patrocinatur, minori quoque contra veram contumaciam non datur regressus <sup>b)</sup> adversus autem quasi contumaciam ille restituitur <sup>c)</sup>.

An et quatenus autem minor ex huius legis dispositione, (ut nempe non habeat contra veram contumaciam restitutionem), gravaretur? alia erit quaestio. Mea quidem sententia restitutionis denegatio contra veram contumaciam tale non infert minori praeiudicium, contra quod omni auxilio esset destitutus: nam constat primo, minoris indefensi et sine curatore citati contumaciam, nihil habere momenti <sup>d)</sup>, et a iudice eiusmodi minorem nunquam pro contumace declarari posse; deinde autem minorem non aliter verum evadere contumacem, nisi curatoris auctoritate, et si ope illius pro vero contumace declaratur, aut res minoris ita est comparata, ut illi, quanquam non esset contumax, neque ullum detur auxilium, neque restitutionem ultra petere ipsi integrum sit; aut ex negligentia et imperitia curatoris qua contumax condemnatur,

C 3

tur,



tur, et tunc si minor hac ex re damnum fentit, illi est regressus contra curatorem, qui ex notorio, minorem ad culpae levis praestationem, multo magis ad refarciendum damnum ex culpa lata ortum, obligatus est.

a) *L. 199. de R. I.*

b) LAVTERBACH *l. c. Lib. IV. Tit. IV. §. 29. et SCHOEPF. in Synops. tit. de minor. n. 29.*

c) MEYER *in diff. de contum. thes. II. et L. 8. ff. de minor.*

d) *L. 54. ff. de re iudicat.*

§. 23.

Nec olim dabatur restitutio adversus sui ipsius venditionem, lucri captandi causa factam.

Cum saepe apud Romanos filii dolo malo vendi se passi sunt, pecuniam lucrandi causa, scientes, quod simulac appareret, se esse ingenuos, rursus manumittendi essent; extorquebat domestica disciplina hanc legis dispositionem<sup>a)</sup>, ut si maior XX. annis, ad pretium participandum se venundari passus sit, illi libertatis privatio hoc in casu tanquam iusta poena imponeretur, et contra eam non gaudeat restitutione. Secus autem hodie, quum apud nos hic casus non facile concipi potest, quo quis pretii participandi causa se venundari patitur; et licet minor incaute glebae adscribi passus sit, statim tamen illi contra hoc daretur regressus.

a) *L. 9. §. 4. ff. de minor.*

§. 24.

Contra omissam iniuriarum actionem non est restitutio.

Facta pertractione factorum, a minoribus commissorum, illos restitutione privantium, animus mihi est, mentionem facere de unico casu, quo minori adversus semel omissum quoddam factum regressus denegatur, quique in actionis iniuriarum omissione consistit. Omnibus est notum, dictam actionem ita esse odiosam, ut nullo gaudeat in legibus favore, quoniam Christianos non decet, ob acceptam quandam iniuriam statim ad eius vindictam paratos esse, qua propter etiam minori haud conceditur, aut contra eius, intra tempus iniuriam vindicandi lege definitum, omissionem, aut contra semel initam reconciliationem et honoris declarationem eiusque acceptationem, hunc in finem rursus restitu-

restitutionem petere, ut contra iniuriam infligentem agere possit: sed potius per legem <sup>a)</sup> expressis verbis interdictum legimus, contra semel omisam iniuriarum actionem, nullam habere locum restitutionem,

a) L. 37. ff. de minor.

§. 25.

### Contra solutionem ex decreto iudicis factam minorenni non datur regressus.

Inter omnes constat, quod pupillo licet domino non tuto solvatur, nisi auctoritate curatoris et interposito magistratus decreto <sup>a)</sup>, quoniam si hoc a debitore intermissum est, duplicis solutionis periculo se ipse exponit, quia minori contra solutionem, sine magistratus decreto factam, semper est restitutio, quae autem cessat, simulac solutio, auctore Praetore, vel ex magistratus decreto sit peracta <sup>b)</sup>; nam absque hoc, tutori et curatoris pecunia pupillaris vel minorennis haud secure solvitur, uti hac de materia uberius tractavit *celeberr. WIESE, Praeceptor. meus aeternum devenerandus, in diff. inaug. de solut. pecun. pupillar. §. 23. et 59.* et simul l. c. §. 20. Sententiam Carpzovianam: quod nempe debitor, qui curatoris solvit plenissime liberetur, profligavit.

Lex autem distinguit <sup>c)</sup> inter minoris nominum, et eius usurarum, reddituum, locariorumque solutiones minori factas. Nominum praecipue ex decreto iudicis fieri debet solutio, alioquin minori competit restitutionis beneficium. Usurarum reddituum locariorumque quidem solutiones, auctore curatore, valide fieri possunt minoribus, requiritur tamen secundum legis normam, ut nec binales metas centum solidorum quantitatem excedentes superent. Nam si plus daretur, minori foret restitutio <sup>d)</sup>. Nec desunt qui existimant, tamen minores restituendos esse, quanquam solutio ex iudicis decreto sit facta, inter quos *LAVTERBACH* eminet <sup>e)</sup>, qui hanc opinionem per verba *Leg. u. C. de praed. minor.* corroborare studet, quae haec sunt: *si vero iure interposito decreto venditionem vili pretio eius possessionis, cuius vires ignorabat, fecit, iuxta perpetui edicti auctoritatem, in integrum restitutio, causa (tamen) cognita, praebetur.*

Quilibet autem, qui erroris est expers, sentit, quod hic de restitutione contra pretii solutionem pro quodam vili pretio fermo sit. Quapropter etiam hoc argumentum nullius momenti esse, aestimatur <sup>f)</sup>.

a) §. ult. I. qui alien. licet vel non.

b) L. 25. C. de admin. tutor.

c) *ibidem*



c) *ibidem.*

d) *L. 25. et 27. C. de adm. tut.* HEINECC. *in elem. iur. civil. Tit. qui alien. licet. §. 429.*

e) *in coll. pract. Lib. IV. tit. IV.*

f) *CARPZ. p. 2. c. 11. d. 34. et 36. LAVTERBACH in diff. de solut. hb. 21. VOETIVS de minorib. n. 21. et 22.*

§. 26.

### Propter alienationem ob debita fiscalia sub hasta factam minori non datur restitutio.

Privilegiis fisco competentibus omnino etiam id adnumeratur, quod contra bonorum minoris subhastationem, ob debita fiscalia factam, illi non detur regressus <sup>a)</sup>; nam fiscalis hastae rite factae ea vis est et fides, ut nec rescripto principis nec aetatis beneficio, nec alia ulla ratione convelli possit, nisi minor fuerit indefensus <sup>b)</sup> i. e. curatore destitutus, quoniam tunc cum minore nihil agi potest <sup>c)</sup>.

Num id etiam ad quamcunque minoris rerum alienationem sub hasta legitimo modo factam applicari possit? lis est inter Doctores. Recte defendentes, huius affirmationem legibus haud esse conformem, sunt praecipue SCHOEPPFER <sup>d)</sup>, COCCEIVS <sup>e)</sup> et BRVNNE-MANN <sup>f)</sup>. Qui autem existimant, quod ad omnes extendi, et ad subhastationes, debita ob fiscalia factas, non restringi debeat haec sanctio, sunt: BERLICH <sup>g)</sup> et PHILIPPI <sup>h)</sup>, in quorum sententiam descendit MANTZEL <sup>i)</sup> defendens, minorem etiam contra emtionem in subhastatione restitui posse, quoniam res a minore emtae, ad primum venditorem redire possunt, et nemini proprie damnum infertur, non autem contra illud, quod ex rebus minoris distractum sit, quia tunc magnus rixarum campus aperiretur. Mantzeliana opinio, licet non videatur omni pondere destituta, tamen mihi non arridet, quod publica fides, qua subhastationes publicae gaudent, per ante dictam restrictionem magis magisque suo privaretur valore, et magno praeiudicio conducere posset, si emtores rerum sub hasta emtarum contra illarum repetitionem non tuti essent. Verum quid est, quod philosophar, cum semper huius contrarium teneant verba *L. 5. C. de fid. et iur. hast. fiscal. „pro fiscalibus debitis adiudicatur emptoribus &c.“* quae ita clare disponunt, ut solummodo fiscalibus debitis, hoc privilegium attribuat, neque ad omnes res minoris sub hasta publica venditas extendendum sit.

a) *L. 5. C. de fide et iure hastae fiscal.*

b) *L. ult. C. si propter publ. pensitat.*

c) *L.*

- c) *L. 54. ff. de re iud.*  
 d) *in Synops. tit. de minor. n. 25.*  
 e) *in ius contr. Lib. IV. tit. IV. quaest. XIV.*  
 f) *ad leg. 11. Cod. de praed. et al. reb. N. 14.*  
 g) *Part. 1. Decif. 113.*  
 h) *de subhast. L. 2. cap. 2. com. 2. n. 37. seqq.*  
 i) *de eo qui est maior et minor simul.*

## §. 27.

**Contra semel denegatam restitutionem minori non  
datur regressus.**

Si minori semel a iudice restitutio denegata est, ex eadem causa non conceditur <sup>a)</sup>, sed minori, per hanc denegationem se laesum esse, existimanti, remedium appellationis arripere, iure nostro permittitur <sup>b)</sup>. Nec minus minorenni a doctoribus contra desertam appellationem, quam propter denegatam restitutionem eligere potuisset, restitutionis beneficium conceditur <sup>c)</sup>, quod etiam, mea quidem sententia, procul dubio invenit locum, nisi ex alia causa alioque gravamine restitutio petatur <sup>d)</sup>, quo casu ex altera causa denegata non obest.

- a) *Tot. tit. Cod. si saepius rest. CARPZOV. L. 2. Resp. 97.*  
 b) *L. 1. cod. et CARPZOV. c. 1. n. 12.*  
 c) *SCHOEFFFER in Synops. Lib. 3. Tit. 22. §. 16.*  
 d) *COCCEIUS in diff. de lubrico aetatis §. 60. seqq. MEVIUS P. 4. Dec. 358.*

## §. 28.

**Quando minor hereditatem sibi delatam temere repudiavit,  
non contra bona interim ab illius possessore distracta  
restituatur.**

Contra omissam hereditatis aditionem eiusque repudiationem minor quidem gaudet restitutionis beneficio <sup>a)</sup>, non autem intuitu bonorum, quae interim ab hereditate ipsa distracta sunt <sup>b)</sup>. Ratio huius nemini erit occulta. Nam quis est, qui ignoret, si minor hereditatem, sibi vel per testamentum vel ab intestato delatam repudiat, tunc illum, cui per minoris repudiationem proximum est ius succedendi, hanc hereditatem bona fide adire posse, et bonae fidei possessorem in hereditatis possessione propter dilapidata aut alio modo culpa sua amissa non

D

teneri;



teneri, etiamsi postea hereditas a vero heredē vindicetur <sup>9)</sup>. Ex hoc igitur consequitur, minori contra semel repudiatam hereditatem restitutionem petenti non plus esse indulgendum, nisi in quantum bona hereditaria adhuc exstant; bona fidei possessorem vero ob distracta et amissa nunquam, nisi locupletior factus sit, conveniri posse.

Sunt nonnulli, qui quod de repudiata hereditate dictum est, etiam ad omne lucrum a minore omissum extendant <sup>a)</sup>; atque hoc recte, quoniam privilegia beneficiaque minorum a legibus concessa arcte circumscribentibus, nostrum adiciere calculum, nobis L. 24. §. 2. ff. de minor. interdicat.

a) L. 1. C. si ut omiss. hered. et L. 24. ff. 2. in pr. ff. de minor.

b) L. 24. §. 2. ff. in f. l. c.

c) BOEHMER in introd. in ius Digest. Tit. de hered. pet. §. 9. et L. 9. et 25. §. 11. L. 30. ff. de her. pet.

d) BRUNNEMANN ad L. 24. ff. §. 2. de minor.

§. 29.

Contra facta maioris, cuius heres minor existit, illi non datur regressus.

Ex generali principio, ut heres in universum ius, quod defunctus habuit, succedat, et omnes eius obligationes in se suscipiat <sup>a)</sup>, prono alveo fluit, minorem adversus facta maioris, cuius heres est factus, restitutionis beneficium frustra invocare, nisi illud contra ipsam hereditatis aditionem petat. Secus autem erit diiudicandum, si maior defunctus post XXV. annum intra quadriennium, ipsi restitutionis impetrandae causa concessum, diem supremum obiisset; hoc enim in casu minori adhuc est restitutio contra facta a maiore commissa, intra idem tempus, quod defuncto adhuc superfuisset <sup>b)</sup>.

a) L. 24. ff. de V. S. et L. 62. ff. de R. I.

b) BOEHMER c. l. de minor. §. 11. lit. γ).

§. 30.

Annon etiam contra omissum iuris protimiseos seu retractus exercitium a curatore neglectum minori sit restitutio?


Minori, cuius curator in alienationem fundi vel domus consentit, in quo illi ius protimiseos seu retractus competit <sup>a)</sup>, nullum dari regressum, LEYSER. in medit. ad ff. Spec. 195. Corolar. un. defendit, et corroborandae

randae suae sententiae causa, provocat ad constitutionem Friedericianam, consuetudinibus feudalibus insertam <sup>b)</sup>). Nunquam autem calculum adicere possum meum sententiae Leyserianae, cum eius fundamentum in dicta Friedericiana constitutione positum, secundum notoriam praxin omni valore destitutum sit. Notum enim quam notissimum est, ius feudale Longobardicum ex capitulis *ordinariis* et *extraordinariis*, constare, *ordinaria* autem solummodo in decidendis controversiis feudalibus plenam habere auctoritatem, et *extraordinaria*, sub quibus allegata constitutio Friedericiana comprehenditur, plane nulla vi, nisi illustrationis ordinariorum, gaudere <sup>c)</sup>). Iustam igitur mihi excitat admirationem, quomodo DDres eruditione valde incliti, auctoritatem huius constitutionis defendere possint, idque hac ex ratione, quod ab Imperatore et in campis Roncaliae, praesentibus tam Italicis, quam Germanicis vasallis, generaliter haec constitutio sit lata <sup>d)</sup>); cum tamen extra dubium positum sit, Procures Imperii non tam legum ferendarum et comitiorum habendorum, quam comitatus causa praesentem temporis in Italia fuisse, sed regnum sua sibi quodvis iura seorsim observasse, atque inde Imperatorias illas constitutiones Germanos non obligare <sup>e)</sup>). Ad stipulatus est huic sententiae *cell. BECKER in diff. de iuribus minorum circa retractum feudalem a tutore neglectum §. 30.*, et prolixè commonstrat, hanc saepe dictam constitutionem Friedericianam leges inter Germaniae originarias referri non posse.

Etiam ex receptione nos non obligat, quia inter capitula extraordinaria est collata, quae glossis haud sunt illustrata, hinc omni destituta valore secundum paroemiam: *quidquid non cantat glossa, non cantat curia* <sup>f)</sup>). Apparet ergo ex antedictis, constitutionem Friedericianam nullum habere in foro usum pragmaticum, nisi per ius quoddam speciale in nonnullis locis eius tenor sit receptus, uti in iure nostro Rostochiensi statutorio, *P. III Tit. VII. art. III.* legitur: *Ist dem Vormunde in dem Fall, wann denen Pupillen ein ius protimiseos conventionale oder testamentarium* <sup>g)</sup>) *zustehet, die gebührliche Anzeige geschehen, und er hat sich zur Ausübung des Näher-Rechts nicht erklärt, so mögen die Pflugbefohlene nachhin kein beneficium restitutionis dagegen haben.*

Licet quoque constitutio Friedericiana omni valore vere non esset destituta, ad bona tamen allodialia haud trahi posset, cum solummodo de iure protimiseos seu retractus minorenni in feudo competente, et a tutore neglecto, disponit. Valet autem neque in hoc neque in illo, sed quod minori contra ius protimiseos seu retractus, a tutore suo neglectum, restitutio in integrum salva sit, sequentibus demonstrabo.





Omnibus, qui iuris principia primis degustarunt labiis, notum erit, haberi res incorporales, pro immobilibus, quoties his inhaerent, vel ratione earundem competunt<sup>b)</sup>. Cum autem ius protimiseos seu retractus tanquam res incorporalis, immobili inhaereat, eique equiparetur; etiam a tutore nunquam alienari potest, quia omnis immobilis alienatio solo a tutore facta, ipso iure nulla est, ita ut restitutionis beneficii non indigeat<sup>c)</sup>, et ad validitatem alienationis bonorum pupillorum immobilium desiderantur magistratus auctoritas, causae cognitio, et decretum magistratus<sup>d)</sup>, quibus intermissis, semper minorum res salva manet. Si autem haec requisita iusto modo adhibita sunt, tunc minor destituitur beneficio restitutionis in integrum, nisi laesionem probare possit<sup>e)</sup>, quae autem non ex tempore petita restitutionis, sed factae venditionis<sup>m)</sup>, erit aestimanda<sup>n)</sup>.

Etiam annus et dies, quem ius feudale Longobardicum praescriptioni iuris retractus constituit<sup>o)</sup>, nullum infert praeiudicium; nam proptio iure contra minores haud currit praescriptio, nisi iam inchoata fuerit<sup>p)</sup>, sed dormit, et post maiorem demum aetatem currere incipit<sup>q)</sup>. Adepta autem maiorenitate etiam contra ignorantem, feudum alienatum esse, incipit currere praescriptio, quia *II. f. 9. §. 1.* ita sancitum est: *Praescriptione autem triginta annorum submovebatur tam sciens quam ignorans.*

Quod autem ius nostrum Mecklenburgicum circa praescriptionem neglecti iuris retractus feudalis attinet, mihi hoc videtur non ita favorabile pro minore, ut ius commune et feudale Longobardicum esse. Verba articuli XXIX. *Reversalium de ao. 1621.*, quorum valor per declarationem authenticam *d. d. 2. Decbr. 1768.* extra omne positus est dubium: *dass die Lehen, so iemand über 30 und mehrere Jahren geruhiglich besessen, in keine Wege hinfiuro revociret werden sollen*, convincunt, et praecipue verba *in keine Wege* me credere iubent, momentum praescriptionis non a die scientiae vel maiorenitatis minorum, sed semper a die alienationis inchoare.

a) Ius protimiseos seu retractus oritur vel ex conventionem, vel ex testamento, vel ex lege: vid. BOEHMER *in introd. in Ius Dig. tit. de contrah. emt. §. 36.*

b) *5. f. 13.*

c) MOELLER. *in usu pract. dist. feudal. cap. I. dist. III. et G. L. BOEHMER. in in comm. de aetate venista collect. consuetud. feudal. quam libros feud. vocant.*

d) STRUVIUS *in Syntagm. I. Feud. Cap. I. §. VII.* STRYCK *in exam. Iur. feud. Cap. 1. Qu. 12. et 13.* FINCKELTHAVS, *Controv. feud. Disp. 1. Qu. 6.*

- Qu. 6. RITTERSHVS. de feud. lib. 1. C. 1. q. 8. de SENCKENBERG in primis lineis iur. feud. HOFFMANN in specimine coniecturarum de origine et natura LL. germanicarum privatarum antiquarum p. 98. COTHMANN. Vol. IV. Resp. XLII. n. 8. 15. 16. MATTHIAS DE AFFLICTIS in interpret. Const. Friederic. dictae §. 1. n. 1. RICHTER P. VI. C. 24. n. 75.
- e) TITIVS in teutschen Lehn-Recht, Cap. III. §. 16. G. L. BOEHMER in all. comm. §. IV. VI. VIII. SIEGEL in Elem. iur. feud. proleg. §. XII. p. 9. SCHVRTZFLEISCH in diss. de Conrado Salico §. 10. CONRING. in diss. de origiub. Iur. Germ. Cap. XIX. p. 102. a BVNAV Leben und Thaten Friederichs I. p. 94. in fine. HEILLIGER. in tract. de Campis Runculicæ habitisque ibi curiis sollennibus §. 21. p. 85. et seqq.
- f) LVEDER MENCKEN in diss. de novell. glossat. et non glossator. auctoritate.
- g) Notatu mihi dignum videtur, quod ius Rostochiense solummodo in alleg. art. de iure protimiseos pupillo vel ex conventionem vel ex testamento competente disponat, et nullam faciat mentionem de illo, quod ex lege datur, quanquam et illorum exempla haud desunt. Quando igitur Rofeti lis esset super ius protimiseos ex lege pupillo competens, a tutore neglectum, tunc res est dubia, num secundum statutum, an ex iure communi pronuncianum sit, et tunc ad interpretationem authenticam confugiendum foret.
- h) BOEHMER in introd. in ius D. Tit. de rev. div. §. 13.
- i) HEIMBVURG in diss. de retractu gentilitio iur. in re.
- k) BOEHMER d. l. Tit. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. sunt. §. 9.
- l) l. 24. §. 1. ff. de minor. l. 12. §. 1. de admin. tut.
- m) HILLINGER ad Donell. L. 21. Cap. 9. lit. a.
- n) BRVNNEMANN ad L. 13. §. ult. C. de iud. n. 66. seq. et BERGER in Elect. Discept. iur. Lib. 20. Obs. 3. defendunt, minori incumbere, per viam ordinariam interesse a tutoribus petere, antequam ad beneficium R. I. I. admitti poterit, sed clara leg. 3. C. si tut. vel curat. interv. contrarium docent. Vid. etiam de HEDEMANN in diss. de rest. minor. §. 39.
- o) II. f. 26. §. 13.
- p) L. 5. C. in quib. Caus. R. I. I. neffar. non fit.
- q) RICHTER in decis. p. 11. Dec. CXXVI. n. 176.

§. 31.

## Contra casus fortuitos minor non restituitur.

Interdum etiam absque antecedente alieno vel proprio a minori perpetrato facto, per se cessat restitutio, et minori non conceditur, quod praecipue in casu obveniente fortuito locum invenit. Nam minori restitutionem petenti incumbit, aut ex inconsulta facilitate, aut ex adversarii malitia laesionem quandam probare \*). Cessante autem hu-



ius probatione, cessat restitutio. Si igitur minor casu fortuito laesus est, quanquam alias prudentissime sua administravit negotia, et v. g. amplissimam adiit hereditatem, quae facta iam aditione aut incendio aut alio superveniente casu fortuito postea periit, restitutio non invenit locum; quia nec inconsulta facilitate nec adversarii dolo damnum sentit<sup>b)</sup>, et partes domini sunt, semper casum sentire, quapropter tum, cum minor dominus evadit, non gaudet restitutione. Hinc si minor rem utilem sibi que necessariam, etiam iusto modo emit, et postea statim illa casu fortuito periit, tamen illi non datur regressus.

a) *L. 1. pr. l. 11. §. 4. l. 17. l. 24. §. 1. l. 44. ff. de minor., et l. 5. C. eod. tit.*

b) *l. 1. C. qui et adver. quos. IOH. VOETIVS n. 49. de minor.*

c) *l. 23. in f. de R. I.*

d) *l. 24. §. 1. ff. de minor.*

§. 32.

Si aliud ordinarium remedium adest, minori restitutio denegatur.

Quis est, quem fugiat, omnes restitutiones tanquam remedia extraordinaria subsidiariaque a Praetoribus inventas, et non aliter nisi in subsidium ad illas provocandum esse. Si igitur minori iam per remedium ordinarium prospicitur, illi non opus est restitutione.

*L. 16. pr. ff. de minor. arg. l. 12. ff. acquir. hered.*

### Conclusio.

Sunt forsitan nonnulli casus a me silentio praeteriti, in quibus etiam minor restitutionis in integrum beneficio destituitur; impono autem huic opusculo colophonem, cum sufficiat ad indicendas praelectiones academicas, ex Amplissimae Facultatis Iuridicae indultu a me per instantem semestre brumale habendas, ita adornatas, ut

hora


hora X — IX. Pandectas praeunte *I. H. Böhmro*

et

hora III — IV. pomeridiana, Institutiones iuris civilis ad du-  
ctum Elementorum *Heineccii*, noviter ab *Höpfnero*  
editorum, explicem.

Capient praelectiones initium d. 9. Octobris. Faxit Deus, ut fiat feli-  
citer. Dabam Rostochii, d. XXIX. Septembris. A. R. S. MDCCLXXX.





hora X - IX. Pandectas praecedunt I. H. Böhmers  
 et  
 hora III - IV. pomeridiana, Institutiones iuris civilis ad du-  
 ctum Elementorum Hübneri, noviter ab Höpfner  
 editorum, explicum.  
 Capient praecedentes initium d. q. Ochobris. Exiit Deus, ut fiat festi-  
 citas. Dabam Rostochii, d. XXIX. Septembris. A. R. S. MDCCCLXX.














RITTERSHVS. de feud. lib. 1. C. 1. q. 8. de SENCKENBERG in  
lineis iur. feud. HOFFMANN in specimine coniecturarum de ori-  
natura LL. germanicarum privatarum antiquarum p. 98. COTH-  
Vol. IV. Resp. XLII. n. 8. 15. 16. MATTHIAS DE AFFLICTIS  
pret. Const. Friederic. dictae §. 1. n. 1. RICHTER P. VI. C. 24.  
in teutschen Lehn-Recht, Cap. III. §. 16. G. L. BOEHMER in all.  
§. IV. VI. VIII. SIEGEL in Elem. iur. feud. proleg. §. XII. p. 9.  
TZFLEISCH in diff. de Conrado Salico §. 10. CONRING in diff.  
iur. Germ. Cap. XIX. p. 102. a BVNAV Leben und Thaten  
ichs I. p. 94. in fine. HEILLIGER in tract. de Campis Roncaldicæ  
que ibi curiis sollemnibus §. 21. p. 85. et seqq.

MENCKEN in diff. de novell. glossat. et non glossator. auctoritate.  
nihil dignum videtur, quod ius Rostochiense solummodo in al-  
t. de iure protimiseos pupillo vel ex conventionem vel ex testa-  
competente disponat, et nullam faciat mentionem de illo, quod  
datur, quanquam et illorum exempla haud desunt. Quando  
Roseti lis esset super ius protimiseos ex lege pupillo competens,  
e neglectum, tunc res est dubia, num secundum statutum, an  
e communi pronunciamdum sit, et tunc ad interpretationem au-  
tam confugiendum foret.

ER in introd. in ius D. Tit. de rev. div. §. 13.

RG in diff. de retractu gentilitio iur. in re.

ER d. l. Tit. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. sunt. §. 9.

ff. de minor. l. 12. §. 1. de admin. tut.

GER ad Donell. L. 21. Cap. 9. lit. a.

EMANN ad L. 13. §. ult. C. de iud. n. 66. seq. et BERGER in Elect.

iur. Lib. 20. Obs. 3. defendunt, minori incumbere, per viam or-

am interesse a tutoribus petere, antequam ad beneficium R. I. I.

i poterit, sed clara leg. 3. C. si tut. vel curat. interv. contrarium

Vid. etiam de HEDEMANN in diff. de rest. minor. §. 39.

§. 13.

in quib. Caus. R. I. I. neffar. non fit.


R in decis. p. II. Dec. CXXVI. n. 176.

§. 31.

tra casus fortuitos minor non restituitur.

etiam absque antecedente alieno vel proprio a minori  
lo, per se cessat restitutio, et minori non conceditur,  
e in casu obviente fortuito locum invenit. Nam mi-  
nem petenti incumbit, aut ex inconsulta facilitate, aut ex  
itia laesionem quandam probare. Cessante autem hu-

D 3 ius



the scale towards document